

112  
2  
08



63. 42. 27.

4 2,4

DEO BENE JUVANTE,

De

# CICERONIS PHILOSOPHIA MORALI

IN ALMA STUDIORUM UNIVERSITATE  
VVITTENBERGENSI

PRÆSIDE

JOANNE CHRISTOPHORO

*Fugmann /*

RESPONDEBIT

GEORGIUS EMERANUS KÜHLEWEIN.

MAGDEBURG : SAX.

IN AUDITORIO MAIORI

D. XIII. M. SEPTEMBRIS.

WITTENBERGÆ,

Literis MATTHÆI HENCKELII , Acad. Typogr.

ANNO M. DC. LXXVI.

-1676-

*Ad*  
Præclarum, Doctissimumq; Juvenem,  
**DN. GEORGIUM EMERANUM**

KÜHLEWEIN,

SS. Theol. Cultorem strenuum, atq; Philosoph.  
Candidatum dignissimum,

*Cum*

De Ciceronis Philosophia Morali  
publicè disputaret.

**M**Agri semper estimavi Tuum ingenium, Et illam a-  
lacritatem, qvā alios longè superas. Quantum profe-  
ceris in Theologie studio jam publicò specimine exhibuisti, Et  
illa fuit as ac promitudo dicendi, qvā ex suggestu sacro  
per diversas viees concionando summum omnium favorē,  
atq; benevolentiam consecutus es, satis declarat, quid Pa-  
tria, Et inclita Familia, quid boni omnes de Te sperare de-  
beant. Sed recte facis, quod Theologie studio adjungis ac-  
curatam Philosophia cognitionem, atq; Tuо exemplō eorū  
præpostera consilia strenuè coarguis, qui dum ad sacra ady-  
ta veniunt, magno superciliō rejiciunt sapientiam huma-  
nam. Id quod prorsus mihi videtur tale, ac si quis famam  
Et gloriā comparare velit, qui virtutem Et morum ho-  
nestatem contemtui habeat. Tu verò feliciter perge, Theo-  
logiam cum Philosophia misce, atq; illos aliquando expecta-  
to honores, qui nomine, ingenio Tuō digni sunt. Hoc  
ipsum ex animo precor

Scribem Wittenbergæ IX. Septemb.  
M DC LXXVI.

PRÆSES.

B. C. D.

P RÆFAMEN.

Hilosophiam Latinis literis pri-  
mus illustravit CICERO, ab eo com-  
prehensum, qvicquid antiquitas o-  
mnis continet, & suō nomine teclī, qui  
alias emineat possent. Fuit illa felici-  
tas Reip. Romanæ, ut haberet virum  
foris gubernantem, salutem civium moderantem; domi  
meditantem, & scriptis immortalitatem consequentem.  
Qvis enim divinum illud ingenium non admiratur, &  
lectione tot præceptorum, tot arcanorum non capitur?  
Respice ordinem, respice elegantiam scribendi, qvō hæc  
omnia pertractata sunt, & nihil laudabilius, præstan-  
tiusque reperies. Dum verò Philosophia mentionem  
facimus, non aliam, qvam practicam, intellectam volu-  
mus. Fuit illa conservudo ab omni antiquitate recepta,  
ut Philosophia suō nomine inferret eam scientiam, cur  
de nostrā informandā vitā, de rectitudine, atqve hone-  
state ageret. Qvōd si praxis, uult anteferenda est specu-  
lationi; illa pars, qvæ humanam naturam proprius attin-  
git, atqve omne officiorum genus edocet, ut inde summa  
orientur beatitudo, in primis estimari debet. Non  
inconveniens igitur nostrum erit propositum, si in  
summa exhibemus CICERONIS de Philosophia Mora-  
li sententiam. Tu Deus benignè gratiā tuā nobis ad-  
esse velis.

A 2

§. I. Li-

§. 1.

*Tus. Ques. l. 4. c. 4.* Liberum se profitetur Philosophum Cicero, nullique certæ lectio addictum. Defendat quidem, quod quis sentit: sunt enim iudicia libera: nos institutum tenebimus; nullisq; unius disciplina legibus adstricti, quibus in Philosophia necessariò pareamus, quid sit in quaquerre maximè probabile. Ad libertatem illam proban-

*Offic. l. 2. c. 17.* dam facit illud, quod se Panætium secutum esse, non interpretatum dicit. Qui enim rectè philosophari vult, non auctoritate nisi debet, sed rationibus, suumque adhibere iudicium, ut, quæ vera, quæ falsa ab aliis dicta sint, cognoscatur. Sanè illud Pythagoreorum &vros &Q; ex omnibus sapientia officinis à qvolibet veritatis cultore exterminandum, profigandumq; est. Quare non audiendus Ausidius, ita Ciceronem alloquens:

*Tus. Ques. l. 1. c. 17.* malo cum Platono, quem "quantificatas, scio, & quem ex ipso ore admiror, quācum iusta vera sentire. Habet ille adhuc hodie se-  
statores suos, qui nescio quō affectu, quā dulcedine animi alle-  
Et, à præceptoris falsis sententiis non recedunt, cogitationibus vim inferunt, eaq; propugnant, quæ aliter esse, evidenteribus argu-  
mentis demonstrati postunt. Et verò, si aliter sentiunt, alter loquuntur, in majori sunt virtus, quod destinatō animo & consi-  
liō falla pro veris jactant. Sed dicamus, quod res est, nimis inhæret Stoicis Cicero, quod & ipse fateri cogitur, dum solam Stoicorum auctoritatem sufficere putat. Hæc formula Stoicorum rationi (loquitur de honesto, quod honestum utile esse dicit, nec quidquam utile, quod non honestum) disciplinaque maximè con-  
venire, avan quidem propterea sequimur. Imo scripta omnia satis probant nostrum assertum.

*Orator. l. 1. c. 15.* §. 2. Tres facit Philosophia partes. Philosophia in tres partes qd; distributa, in natura obscurata, in differendi subtilitatem, in vitam atque mores. Per natura obscuritatem intelligit doctrinam Physicam, & sub eā omnem Philosophiam speculativam: per differendi subtilitatem Logicam, quæ acutè differere, discernere, dijudicare docet; per vitam atque mores indigitat totam Philosophiam practicam, & in primis Ethicam, quæ nostram vitam recte informat, nostros mores, ne extra honestatis limites evagentur. Quām bene autem ad Philosophiam referatur Logica

gica, aliò loco disputatur: est enim illa disciplina notionalis, modum ostendens circa res verlandi, non realis, res ipsas tractans atq; explicans. Neque Logica est habitus principalis, sed instrumentalis, subserviens superioribus disciplinis, hancq; ob unicam causam addiscitur.

§ 3. Virtutes quatuor statuit, prudentiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam. Omne quod honestum est, id quatuor partium oritur ex aliqua: aut enim in perspicuitate veri, solerter versatur; aut in hominum societate tuenda, tribuendo suum cuique; Et rerum contractarum fide; aut in animi excelsi arde invictissim magnitudine, ac robore; aut in omnium, quae sunt, quaeque dicuntur, ordine & modo, in quo inest modestia, & temperantia. Et vicissim: Omnis honestas manat à partibus quatuor, quarum una sit cognitionis, altera communis, tertia magnanimitatis, quarta moderationis. Quæ verba à prioribus Iucem accipiunt, ut per cognitionem intelligatur prudentia, per communis partem justitia, per magnanimitatem fortitudo, & per moderationem temperantia. Haec quatuor virtutes jam inde à tempore D. Ambrosii & Hieronymi cardinales dicti solite sunt, quod his virtutibus, veluti cardibus reliqua omnes fulciantur.

§ 4. In sola honestate bonum colligatur. Solum id, quod honestum sit, bonum judices; & omni animi perturbatione liber sis; Nam & ea, que eximia plerius, & præclaræ videntur, parva ducere; eaq; ratione stabili, firmaque contempnere, fortis animi, magnis ducentum est; & ea, que videntur acerba, quæ multa & varia in hominum vita, fortunæ versantur, ita ferre, ut nihil à statu naturæ discedas, nihil à dignitate sapientiæ, robusti animi est, magnaq; constanter. Ubi & illud de statu naturæ Stoicè dicitur, quod alias non unâ loquendi formulâ exprimitur: secundum naturam vivere, convenienter, congruerenter naturæ vivere, naturam sequi, sibi constare, se Deo tradere, Deum sequi. Neque minus illud, quod de dignitate sapientis effertur ad Stoicorum Scholam revocandum est, de quo postea. Dum vero solum honestum bonum esse statuit, porro alloquitur Filium Cicero: Ego à te postulo, mihi Cicero, ut mihi concedas, si potes, nihil præter id, quod honestum sit, esse propter se expetendum. Manavit hæc de honesto sententia à

Offic. l. i. c. 5.

Offic. l. i. c. 43.

Offic. l. i. c. 20.

Offic. l. 3. c. 7.

A 3

Socrate



*Offic. l. 3. c. 3.* Socrate ad Stoicos, quod Cicero his verbis notum facit: *Accipimus Socratem solum exēcrai eos, qui primū hæc, naturā coherentia, opinione dispraxiſſunt. Cui quidem ita sunt Stoici assens, ut etiam quicquid honestum esset, id utile esse censerent, nec utile quidquam, quod non honestum. Et vicissim recte Socrates exēcrai eum solebat, qui primus utilitatem à natura se junxit.* Verum enim verō sanitatem nemo utilem esse negabit, quæ tamen honestorum bonorum censu non venit. Sic medicamentum utile est, & ad conservandam, & restituendam sanitatem, honestatem tamen infuso non continet. Quæ verō impulerit ratio, ut ita sentiretur, docet Stoicorum coryphaeus Seneca: *Nihil bonum nobis videtur, quô quis & malè uis posse. Nec nisi cum honeste administrata sunt, bona esse incipiunt. Cum igitur tantas opes, tantas diuitias habuit Seneca, si illæ nullam utilitatem præstant? Respondet ipse pro se: Non quia bona sunt, sed quia secundum naturam sunt, & quia bono iudiciorum sumuntur. Quod erit, in illis tunc bonum? hoc unum, bene eligi. Non adhibebant distinctionem Stoici inter bonitatem moralem & naturalem: illa soli homini, dum anima rationalis capax est, competit: hæc & aliis rebus competit; quæ verō omni moralitate non deſtituntur. Omnis enim actio præsupponit objectum, in quo veretur, quare homo quando aliquid agit, habeat materiam necesse est, quam tractet: ita cibus, porus, diuitiae, sunt singularium virtutum objecta. Neque tunc sub alia notione hæc talia veniunt, quam prout praxis sub sternuntur. Hoc unicè curat recta ratio, ut actiones nostras ita perficiat, ne vel excedendo, vel deficiendo, honestatis limites egrediamur. Longè aliter Aristoteles sentit, qui in honestis actionibus quidem summum bonum collocat, sed plura etiam ad ejus complementum subsidia requirit, ut vel sint instrumenta, vel ornamenta. Conspice diuitias, instrumentum habebis ad exercendam liberalitatem: siste tibi longavam vitam, habebis ornamentum summi boni. Hinc Cicero ait: *Aristoteles virtutis usum cum vita perfecta & prosperitate conjunxit. Sed quod non omissendum, Cicero aut non constat sibi, aut quod verisimilius videtur, in dicta illâ cum Catone disputatione eloquentiam & ingenium ostentat: Age (inquietus) nunc isti (Stoici) doceant,**

*Leg. l. 1. c. 32.*

*Ep. 118.*

*Ep. 92.*

*Fin. l. 2. c. 6.*

doceant, vel tu potius (quis enim ista melius?) quoniam modò ab ipsis  
deinceps principiis profecti, efficiatis, ut honestè vivere (id est enim vel ex  
virtute, vel natura congruerit vivere) summum bonum sit, & quo-  
nam modò, aut quod loco corporis subito deserueritis, omniaq[ue] ea, que  
cum secundum naturam sint, absint à nostra potestate: ipsum deniq[ue]  
officium, quare igitur, quomodo haec tanta commendationes à natura  
profecte subito à sapientia reliqua sint. Quodsi non hominis sum-  
mum bonum quareremus, sed cuiusdam animantis: is autem esset ni-  
bilis, nisi animus. (Licit enim fingere aliquid ejusmodi, quod verum fa-  
cilius reperiamus) tamen illi animo non esset hic uester finis. deside-  
raret enim valetudinem, vacuitatem doloris, sappeteret etiam conser-  
vationem sui. Sed uti diximus, hæc vel ingenii ostentatione, vel  
lusu prolatæ sunt.

§. 5. Laudat sapientem, qui rectius magister populi, (is enim Fin. l. 3. c. 22.  
est dictator) quam Sulla, qui trium pestiferorum vitiorum, luxuria,  
avaritia, crudelitatis magister fuit: rectius dives, quam Crassus, qui,  
nisi egisset, nunquam Eupratetem nullâ belli causa transire voluis-  
set. Rectè ejus omnia dicentur, quis scit uti solus omnibus. Rectè etiam  
pulcher appellabitur; animi enim lineamenta sunt pulchriora, quam  
corporis: rectè solus liber, nec dominationi cuiusquam parens: neque  
obedientis cupiditati; rectè invictus, cuius etiam corpus constringa-  
tur, animo tamen vincula injici nulla possint. Scilicet ex Stoico-  
rum sententia sapiens, prudens, ex morum præceptis omni vir-  
tute exornatus vir, instar regis est, nemini subjectus, à publicis ne-  
gotiis abstinent, pro sua voluntate vivens: quodsi vero tali sa-  
pienti libertas denegari videtur, corporis, non animi imperium  
cessabit.

§. 6. Scipsum interimere non in vito ponit, in primis si vi-  
ta constantia accedit, qualem constantiam depraedicat in  
M. Catone mortem sibi accersente. Sed jus divinum, atque jus na-  
ture aliud probant. Deus enim dixit: non occide, & natura  
dictitat: te ipsum conserva. Hinc magistratus civilis vitam  
nulli adimere potest, nisi propter delictum, ut ajunt, capitale.  
Neque facienda mala, ut inde eveniant bona. Malè igitur egere  
hōc seculō nostrō virginē Magdeburgicā, in Albī p̄fūlien-  
tes, ne in hostium venirent potestatem, decusq[ue] virginitatis amittan-  
terent.

Offic. l. 1. c. 31.

terent. De melancholicis autem, qui seipso intermixunt, aliter  
sensiendum; neque enim damnandi sunt illi, neque honesta se-  
pulturā privandi, in primis, si bene anteā vixerint.

*Epist. famil.*

*l.6. ep. 4.*

*Orat. pro Mi-  
lon. c. 23.*

*Orat. pro  
Rosc. c. 24.*

*Tusc. Quest.  
l.4.c.6.*

*Ep. n.6.*

§. 7. Cum Stoicorum principiis conveniens est, quando  
dicit: *Conscientiam recte voluntatis, maximam consolationem esse*  
*rerum incommodarum; nec esse ullum magnum malum preter cul-  
pam.* Cum quo consentit illud: *Magna vis est conscientia. Et*  
*magna in utramq; partem: ut neg. timeant, qui nihil commiserint, Et*  
*pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccarint.* Consci-  
entia bona semper tranquillum animum facit; mala turbidum:  
delectari atque gaudere hominem honestis affectibus & lauda-  
bili proposito videmus agitari contraria & perterriti suō quemque  
scelere, suis malis cogitationibus: *Sua quemq; frangit, Et suus ter-  
ror maximè vexat, suum quemq; scelus agitat, amantisq; afficit: sua*  
*male cogitationes, conscientiasq; animi terrent, haec sunt impia assidua,*  
*domesticasq; furia.* Loquitur hæc talia ethnici, quæ Christiani  
ore nullatenus indigna sunt.

§. 8. In doctrina de affectibus paria cum Stoicis facit,  
*Uiram, inquietus, in hū perturbationibus describendis, Stoicorum*  
*definitionibus, Et partitionibus: qui mibi videntur versari acrius-  
mē.* Sed quomodo acutè versari possunt in describendis defi-  
niendisq; affectibus, dum illis mediocritatem denegant. Hinc  
Stoicorum princeps *Seneca: Utrum satius sit, modicos habere affec-  
tus, an nullos, sape gravissimum est. Nostrī illos expellunt.* Affectus  
quidem sæpe renuant moderari: dum enim recta ratio persua-  
dendo ad honesta invitat, imperium istud civile excutere nitun-  
tur affectus. Dum etiamibi proponunt aliquod jucundum, ab  
eodem sese non patiuntur abduci; hinc & abducitur ab honestate.  
Sed licet anima sensitiva rapiat affectus; nihilominus tam  
men recta rationis judicio temperari possunt. Hic enim atten-  
ditur primò pugna, quæ est inter rationem & affectum: ratio ho-  
nesto atq; pulchro; affectus in honesto atque turpi capitur.  
Deinde occurrit victoria, palmam tenet practicus intellectus.  
Denique datur obsequium, affectus practici intellectus judi-  
cio sese submittit. Et nonne in Deum iniqui sunt sedici, qui  
motus atq; stimulos animo humano à natura impressos tollunt?  
Certe

Certè ipse DEUS uti peccatis nostris irasci: ita quoque gaudere conversione hominum ad salutem dicitur. Qvare h̄c loci non intelliguntur illi affectus, qui nullum medium admittunt, ipsoq; nomine pravitatem involunt. Porro, quomodo in partiendis affectibus acutè versari possunt Stoici, dum ejusmodi subtilitates sectantur, tot divisiones apprehendunt, quæ omnēm doctrinā confundunt. Testis est ipse Cicero: *Hoc inquietus loco nimium opera consumitur à Stoicis, maxin à Chrysippo, dum morbis corporum comparatur morborum animi similitudo.* Neque verò Cicero nimium omisit studiū in dividendis subdividendisq; affectibus, prout lectori patebit ex libris ad hanc Philosophiam spectantibus.

S. 9. Cum Stoicis peccatis æqualitatem inesse statuit. Fallit, Offic. l. 1. c. 27.  
errare, labi, decipi, tam dedecet, quam delirare & mente captum  
esse. Sed satis manifestum est, majus dedecus esse insaniam, Offic. l. 1. c. 7.  
quam qualemcumque errorem. Sic quando dicit: *Quinon defendit, nec obſtit, ſipoteſt, injuria, tam eſt in vitiō, quam ſiparentes, aut amicos, aut patriam deſerat, paritatem peccatorum iterum probare nititur.* Neque tamen ad eadem omnibus officia præftanda obligati sumus; non igitur æquales erunt injuriæ civi magis obligati es, quam peregrino; majorem injuriam facis, ſi parentes, quam amicum deſeras, & dum patria omnes caritates, omnes necessitudines complectitur, in maximō erit vitiō, qui contra illius salutem agit. In hac verò sententia dubius est Cicero: Offic. l. 1. c. 39.  
*Quæ multū ab humanitate discrepant, ut, ſi qvīs in foro caner, aut ſi qua eſt alia magna perversitas, fatigè apparent, nec magnoperè admonitionem, & pracepta deſiderant; qua autem parva videntur eſſe delicta, neque à multis intelligi poſſunt, ab his eſt diligenter declinandum.* Verba ſatis aperte diſcriben conſtituant inter magna atque parva delicta ſeu peccata; illa à quovis intelligi, haec nonniſi à prudente dijudicari poſſe. Ceterū de honestis moribus loquitur Cicero, qui neminem in foro cantare putat. Hodie in Academiis, omnis probitatis, omnis honestatis officinis, ex vito ſeculi perversos vides, qui cantus, boaribus atque mugitibus haud abſimiles emittunt. Ad imparitatem & inæqualitatem peccatorum probandam facit illud: *Si is, qui non defendit injuriam, negve* Offic. l. 3. c. 18.

B

Tusc. Quæſt.

l. 4. 10.

neque propulsae à suā, cùm potest, injūstè facit, qualia habendus est is,  
qui non modò non repellit, sed etiam adjuvat injuriam. Progredi-  
tur, ut in scholis loquimur, à minori ad majus: injuriā non ar-  
cere, ubi poteras & debebas, minus est flagitium, quām injuriā  
ab aliis illatam fulcire, & suā operā adjuvare.

Tusc. Quæst. I.  
cap. 49.

§. 10. De morte nostra, & de providentia divina prorsus  
præclaræ habet Cicero. Si quid tale acciderit, ut à DEO denuntia-  
tum videatur, ut examus è vita, lati, & agentes gratias pareamus,  
emittiq; nos è custodiâ, & levari vinculis arbitremur, ut aut in aet-  
ernam & planè in nostram domum remigremus, aut omni sensu mole-  
stiaq; careamus: si autem nibil denuntiabitur, eò tamen simus ani-  
mō, ut horribilē illum diem alius, nobū faustum pateremus, nilq; in-  
malis ducamus, quod sit vel à Diis immortalibus, vel à natura pa-  
rente omnium constitutum. Seneca scripta, & in primis ejus epi-  
stolas, si quis evolverit, plura in hunc sensum dicta reperiet: quæ  
verò à mente Christiani aliena non sunt: Si eus aliquem evocave-  
rit obitu ex his miseriārum turbis, cur non sponte ad cœlestia ad  
æterna gaudia veniret: non ibi premitur vitiosis corporis affecti-  
bus, sed in DEO, ubi suum receptaculum habet, ab omni labo-  
purus suum gaudium querit. Hunc diem, quô relinquendus  
mundus, impis, vitam suam omni turpitudine atque flagitio  
contaminantibus, moerorem & tristitiam afferre novit; sibi ex  
morum rectitudine, honestate, & virtute viventi, tanquam pio,  
immensum expectandum esse gaudium atque lætitiam. Certus  
etiam est, quæ sibi Deo, & natura jubente, eveniant, non in ma-  
lorum, sed bonorum numerō reponenda esse. Sive igitur mors  
certis signis antè denunciata sit, sive obrepat, ultimumq; vitæ ha-  
litum inopinato auferat, ingrata esse nullò modō potest.

I. I. cap. 4.

§. 11. Sed non præter rem erit, seorsum singulos Ciceronii li-  
bros evolvere, nostrumq; ferre judicium. Quinque illi libri de  
Finibus Bonorum & Malorum agunt de ultimo fine, ad quem re-  
ferenda omnia. Cicero mentem suam accuratō & copiosō ser-  
mone explicat: Quid est enim in vita tam opere querendum, quām  
cūm omnia in Philosophia, tum id, quod his libris queritur, quid sit  
finis, quid extremum, quid ultimum, quid sint omnia bene vivendi,  
recteq; faciendi consilia referenda? quid sequatur natura, ut sum-  
mum

um ex rebus experendū? quid fugiat, ut extrellum malorum? Vicissim: Querimus, quid sit extrellum, quid ultimum bonorum, l. i. cap. 9. quod omnium Philosophorum sententia tale debet esse, ut ad id omnia referri oporteat: ipsum autem nusquam. Summum enim bonum non acquiescit in fine intermedio, sed ultimo, ad quem referuntur omnia, ipse vero ad nullum aliud refertur. Ille finis necessario datur. Homo enim quando agit, non frustra operatur, sed aliquem sibi praefixum habet scopum. Neautem in infinitum vergant ipsius actiones, aliquando invenit, quod desiderium satiatur, prout Aristotle docet.

Ethic. l. 1. c. 8

§. 12. Libro primō Torquatus pro Epicuro perpetuā oratione disputans introducitur. Et Ianē gravem fuisse Philosophum Epicurum evincunt tot severissimae sententiae, quibus Seneca epistolæ reserata sunt. Quin imò de innocentia Epicuri clarum est Seneca testimonium: Sancta Epicurum & reūa precipere, & si prius accesseris tristia. Præclarissimis quoque Philosophis, Platonī, Zenoni comparatur. Adeundus etiam Diogenes Laertius, & ex recentioribz Petri Gassendi eruditissimō & parum vulgo cognitō librō, Beat. vir. c. 13. Visus Philosophiā Epicureā. In tranquillitate enim animi & indolentiā corporis summū bonū collocavit, nihil aliud sentiēt, quam quod sentire veteres sapientes. Sed nonne sapienter facit voluptatis? Hoc uti concedēdū: ita explicatio voluptatis illius audiēda est. Non commodiorē licet interpretē sistere, quam Senecam hunc in modum differentem: Sapientiū remissa volupates & modesta, ac pene langvide sunt, compressas & vix notabiles. Et post pauca: Volupias illa ad parum & exilē revocatur, & quam nos virtutis gem dicimus, eam Epicurus dicit voluptate. Torquatus ex mente Epicuri hunc firmat sermonem: Quae est enim aut utilior, aut ad cap. 14. bene vivendum aprior parsitio, quam illa, quae est usus Epicurus? quae unum genus posuit earum cupiditatū, que essent & naturales & necessaria, alterum, quae naturales essent, nec tamen necessaria. De voluptate itaque animi, non corporis loquitur Epicurus. Nihilominus vix negare licet, ab Epicuri sectatoribus severissima præcepta in ludibrium versa, & vitia jam ex gula, jam venere orta, honestō voluptatis nomine testa esse.

Beat. vir. c. 13.  
Visus Philo-  
soph. l. 10.

Beat. vir. c. 13.

§. 13. Librō secundō sententiā Epicuri refutatur. Ut nobis  
videtur ex ingenii lusu rejicitur, & Cicero non serio agit, sed do-  
cta jucunditate in disputatione illā capitūt: hinc non dissimulat  
cap. 7. Epicuri laudem: *Quis vestrum non edidicit Epicuri uulgus dōξas,*  
*idep, quasi maximē ratas, quia gravissime sint ad beatē vivendum,*  
*breviter enuntiata sententia.*

§. 14. Librō tertio à Catone Stoicorum secta defenditur.  
Libro quartō Caionis argumenta partim examinantur; partim  
refutantur. Librō quinto Peripateticorum de summo bono sen-  
tentiam prōponit. Alii commodiūs differant, remq; pluribus  
exornent verbis, nobis festinandum est.

§. 15. Tusculana Quæstiones in quinque libros dispesci so-  
lent, quorum primus de contemnenda morte, secundus de tole-  
rando dolore, tertius de ægritudine lenienda, quartus de reliquis  
animi perturbationibus agit; postremus denique virtutem sistit,  
& quotmodo illa sufficiens sit ad summī boni possessionem.

§. 16. Libri tres de Legibus iuris temporis manca pro-  
stant. Ostenditur in illis hominum mutua necessitudo, & quo-  
modo optimè societas amicitia, quæ nihil aliud dicit, quam a-  
lium eadem dilectione, quæ seipsum prosequi, contineatur. Ad-  
duntur varia monita, quæ originem juris naturæ attingunt. In-  
primis enim in juris naturæ indagatione sollicitus est, statimq;  
initiò libri primi jus civile ad jus naturæ restringit.

cap. 4. §. 17. In secundo libro pergit in definiendo naturæ iure:  
*Hanc video sapientis inorū fuisse sententiam, legem neque homi-*  
*nū ingenii excoigitatam, nec scitum aliquod esse popolorum, sed*  
*eternū quiddam, qvōd universum mundum regeret, imperandi,*  
*prohibendi sapientia. Ita principem legem illam & ultimam,*  
*mentem esse dicebant, omnia ratione aut agentia, aut vetanis D E I:*  
*ex qua illa lex, quam Diu barano generi dederant, reçè est laudata.*  
*Est enim ratio mensq; sapientia, ad jubendum & deterrendum ido-*  
*nea. Juris enim naturæ D E U S est auctor, qui nostris mentibus*  
*indidit notiones honestè vivendi, ut cognoscamus, quomodò*  
*erga D E U M vivamus, quomodò erga alios homines, quomodò*  
*erga nosmetipſos. Antequam peccaremus, omnium iurium so-*  
*lidam & expressam effigiem conspiciebamus: jam umbra & ima-*  
*gines*

gines apparent, easq; ipsas utinam sequeremur! Sed voluit Di-  
vinum Numen hanc lègem, hoc naturæ jus decalogò sanctissimò  
de novo promulgare; ut cò certius, meliusq; constaret de colen-  
da honestate arque fugienda turpitudine. Non enim decalogus  
à lege illa, seu jure naturæ, re ipsâ distinguitur, & ut in scholis lo-  
quimur, essentiâ: modus tantum discrimen constituit. Rigor  
sumus est, quem requirit decalogus, à nemine observatu possi-  
bilis; imò licet homines actiones suas honestas in unum confer-  
rent, tamen mensuram perfectionis, quæ requiritur, non adim-  
plerent. Hinc patet, sub quo censu veniant opera gentilium:  
certè si ad rigorem juris naturæ revocantur, seu ad regulam æter-  
nae legis examinantur, imperfecta sunt. Laudamus *Aristidis* ju-  
stitiam, *Lucretiæ* castitatem, quod actus ipsos concernit, inde ve-  
rò actio moraliter bona nondum probatur. Ut jam non minùs  
Pontificii, quam Syncretistæ redargui possint. Illi enim primos  
inordinatos motus ab omni labe purgant, ac si à DEO in peccati  
reatum non imputarentur: Hi solis natura viribus bonum opus  
morale peragi posse, operosè, sed frustrâ probant.

§. 18. Tertius liber de magistrato civilia agit, & inter alias  
memorabiles sententias hanc quoque recenset: *Non tanum ma-  
li est peccare Printipes (quamquam est magnum hoc per se ipsum ma-  
lum) quantum illud, quod permulti imitatores Principum existunt.*  
Seculi perpende mores, & non à veritate alienum dictum repe-  
ries. Si aliquis Princeps gulæ deditus est, atque in poculis suas  
quærit delicias, aulici se accommodant illius ingenio, inde dilata-  
tus sese vitium, & per omnem ditionem contagione dissipatur. Et  
verò Germanorum temperamentum ita comparatum, ut minutâ  
quadam cibi vel potius portione famem delere, vel sitim extin-  
guere nequeant. Hinc nulla causa est, quare Itali, Hispani, Gal-  
li accusent Germanos: illos enim gravius peccare, dum adhuc lau-  
dant istud vitium, cuius nomine libenter abstinemus, nemo non  
intelligit.

§. 19. Opus de Officiis admirabile prorsus est, atque inex-  
haustâ eruditâne refertum, styli etiam venustâ mediocritate,  
valde commendandum. Non graviorem testem sistere licet,  
quam ipsum *Ciceronem*, quando filio hoc suppeditat monitum:

*l. i. c. 1.*

Quamobrem magnoperè te hortor, mi Cicero, ut non solum orationes  
mcas, sed hos etiam de Philosophia libros, qui jam se illu ferè aqua-  
runt, studiosè legas. Vis enim dicendi major est in illa: sed hoc quo-  
que colendum est aquabile, & temperatum orationis genus. Et vici-  
sim: Habes à patre munus, Marce fili, meā quidem sententiā ma-  
gnum. Semper etiam magni habita sunt officia. Alexander Seve-  
rus Imperator cùm curis publicis vacuus esset, illorum lectio-  
mirum in modum captus est: Idem de Ludovico XII. Galliarum  
Rege habetur, prout ex scriptoribus notissimum est; nec aliter  
dicendum de illustrissimū Dominis à Friesen/ quos Heroës ac Ma-  
cenates Divinum Numen Augustissimo Principi nostro, totiq; rei  
literariae conservet, omniq; felicitate florere jubeat! Cæterū  
attento lectori patebit, ponit sàpè incongrua vocabula, sensum  
esse suspensum, res præter necessitatem repeti, quod non tam au-  
tori, quàm librariis ex tot iterata scriptione vitio vertendum est.  
Et quod bene observandum, loquitur Cicero haud raro ad com-  
munem morem, quod ipse fatetur: *alia est, inquiens, illa, cùm ve-*  
*ritas ipsa limatur in disputatione subtilitas; alia cùm ad opinionem*  
*communem omnis accommodatur oratio.* Laudat equidem scripta  
sua ac si non multūm à Peripateticis diffiderent: sed multūm di-  
stare, res ipsa loquitur, imò sine causa accusat Peripateticos: *Pro-*  
*hibenda maximè est ira in puniendo; nungquam enim iratus qui ac-*  
*cedet ad paenam, mediocritatem illam tenebit, que est inter nimium*  
*& parum: quæ placet Peripateticis, & reliè placet, modo ne lau-*  
*darent iracundiam, & dicerent utiliter à natura datam.* Ubi ve-  
rò apud Peripateticos legitur, iracundiam in laude esse ponendam?  
Nonne Aristoteles iracundiam ubiq; vituperat? At ira est affe-  
ctus naturalis, à DEO nobis impressus, quem qui criminatur, in  
ipsum DEUM impius est. Ponit cum Stoicis quatuor virtutes,  
tam confundens omnem rem, ut ex schola Peripateticorum nul-  
latenus prodisse videatur. Non agnoscit in rebus moralibus  
certitudinem, sed tantum probabilitatem: *Nos autem ut ceteri,*  
*qui alia certa, alia incerta esse dicunt, sic ab his dissentientes, alia*  
*probabilia, contra alia improbabilia esse dicimus.* Aristoteles contrà  
in moralibus certitudinem amplectitur: dum verò recentiores  
nonnulli latius divagantur, demonstrationes in his talibus asse-  
rentes,

*l. 2. cap. 10.*

*l. 1. cap. 1.*

*l. 1. cap. 25.*

*l. 2. cap. 2.*

rentes, cum illis facere non possumus. *Commentationes omnes* recensere superva caneum est. *Hier. Wolfi* opera valde placet. Addidit ante paucos annos accuratam diligentiam *Samuel Rabeius*, in *Kilonensi Academia Professor Clarissimus*, ex Peripateticæ doctrinæ principiis rem illustrans, & sedulò vestigiis *Grotii de Jure B. P.* insistens. Vellemus, ut in opere edendo de vera lectione magis sollicitus fuisset, & seriem capitum annotasset, ut facilius lectori negotium exhiberet.

§. 20. Totum opus dispescitur in tres libros. Primus liber agit de honesto & inhonesto, ubi in observanda honestate laudat illorum sententiam, qvæ verant quidquam agere, qvod dubites aequaliter sit, an iniquum. Definiunt alijs conscientiam dubiam, qvæ intellectus hæret, utrum actio honesta, an inhonesta sit: cum qvæ intellectus alius sit theoreticus, alius practicus, hinc etiam distinguitur inter dubitationem theoreticam, & practicam; illa de re universali ambigit, hæc de re singulari. Qyanquam, si verum dicendum, conscientia dubia impropiè de hoc nomine participat. Ratio: conscientia judicat fierine aliquid an omitti debeat; at ubi omne judicium exulat, neque in ullam partem datur assensus, ibi conscientia non inveniet locum. Alter fieri solet in conscientia probabili & erronea: Illic datur assensus, licet cum formidine oppositi; hic intellectus assentire non refragatur, dum verum intellectus judicium caligine obductum est. Sicut autem divisio in conscientiam theoreticam & practicam satis bona est; ita absurditate non caret, quando statuitur, judicium theoreticum posse esse incertum, practicum certum, vel probabile. Mutuus enim hic datur consensus, dum theoreticum judicium remotum, practicum proximum actionum humanarum est principium, ut unum alteri quasi subordinetur. Dubitet *Antonius* in judicio speculativō, an rem furtō alienatam liceat emere, an non: in judicio practicō tunc non certus erit, an hanc vel illam rem furtō alienatam liceat emere.

c. g.

§. 21. Se-



§. 21. Secundus liber tractat utile & inutile. Ubi rerum utilium tales subministrat divisionem: *Quæ ad vitam hominum cuendam pertinent, partim sunt inanima, ut aurum, argentum, ut ea, quæ gignuntur e terra, ut alia ejusdem generis: partim animalia, quæ habent suos imperii & rerum appetitus.* De divisione illa judicet eruditus lector; certè si examinetur ex Peripateticæ disciplinæ principiis rejicienda omnino est.

§. 22. Tertius liber comparationem exhibet honestorum, item utilium. Nonam actionem honestiorem esse aliâ, unamque rem superare utilitate aliam, evidenter vita civilis demonstrat.

§. 23. Adjungendus est Ciceroni *divus Ambrosius Episcopus Mediolanensis, Confessor & sanctissimus*, qui totidem de eadem materia libros posteritatem reliquit. Ipse instituti sui rationem his verbis exponit: *Si de officiis quidam Philosophia studentes scriperunt, ut Panætius & filius ejus apud Græcos, Tullius apud Latinos; non alienum duxi à nostro munere, ut & ipse scriberem. Et sicut Tullius ad erudiendum filium, ita ego quodq; ad vos informandos filios meos. Non enim minus vos diligo. quos in Evangelio genui, quam si conjugio suscepissem. Non enim vehementior est natura ad diligendum quam gratia. Plus certè diligere debemus, quos perpetuo nobiscum putamus futuros, quam quos in hoc tantum seculo. Illi degeneres nascuntur frequenter, qui dedeant patrem: vos autem elegimus, ut diligamus.* Edidit hunc librum præclarâ præfatione magni nominis *Vir Baclerus.*

§. 24. *Dialogus de Senectute*, qui *Cato Major* inscribitur ad hanc Philosophiam pertinet, habet ejusmodi monita, quæ & senes & adolescentes concernunt.

§. 25. Neque omittendus *Dialogus de Amicitia*, quod vel ipse titulus probat. Amicitia enim ex morum honestate conciliatur, & concentum quasi virtutum omnium complectitur.

§. 26. Ul-

§. 26. Ultimò hūc referuntur **Paradoxa**, in quibus mera Stoica reperiuntur; id qvod prafatione ad *M. Brutum* ipse docer, ostendens, ab ipsis Stoicis idē φαῦλον appellari, qvōd sint admirabilita, contraq; opinionem omnium, sibi verò & maxime Sto- eratica ea videri, & longè verisima.

§. 27. De reliquo nullum est dubium, periisse qvodam hanc Philosophiam concernentes libros. Allegantur libri sex de Rep. in quibus veterum more non de civitatis solùm regimi- ne, sed etiam virtutibus moralibus multùm disputavit, qvod fra- gmenta probant. Somnium Scipionis, qvod continentur in ul- timo libro integrum esse videntur. Ibi supra sortem & captum gentilis hominis ascendit, qvandò prudentibus civitatum recto- ribus certum in celo locum adscribit, ut beati ævo sempiterno fruantur; hancq; vitam mortalem esse atq; caducam, alteram immortalē atq; æternā. Sed qvō jure *Marce Tulli* Stoico- rum de φαῦλη opinionem suprà approbasti, dum jam ait: *Più omnibus retinendu est animus in custodia corporis: nec injussu ejus, à quo ille est vobis datum, ex hominum vita migrandum est?* Qyi secum solus rem considerat, melius sèpè dijudicat, qvid sit agen- dum, vel omitendum in vita humana, qvàm si alios seqvitur, atque præconcepit opinione certe sectæ adhæret. Qyanqvam non mirum hominem gentilem jam in hanc, jam in illam dela- bi sententiam, dum tot utrobiq; inventi propugnatores, asserto- res, doctores, ut si auctoritatē respiciat, semper incertus ma- neat. Ad justitiam colendam præclarus est locus qui vicissim aliquid altioris Philosophiæ lapit: *Sic Scipio, ut avius hic tuus, ne ego, qui te genui, justitiam cole, & pietatem: que cum sit magna in parentibus, & propinq; sum in patria maxima est: ea vita via, est in celum.* Sed longè alia est justitia, qvæ ad celum atq; bea- titudinis æternæ sedem ducit, qvàm illa moralis, cuius beneficio vel maximè conservatur omnis hominum societas. Et te ipsum, Cicero, deceptum esse nimiò dolore sentis, atque jam autè certus *I. consol.* qvod fuisti impios deprimi in tenebras atq; in cæno jacere. fragment re-

§. 28. Hortensius seu liber de Philosophia propriè hoc petit Lact. l. 3. spectat, mentionem, ejus ipse facit: *Philosophia vicuperatoribus* *C. 19.* *satis Fin. l. i.c. 1.*

satis responsum est eò librō, quō à nobis Philosophia defensa, & collaudata est, cūm esset accusata, & vituperata ab Hortensio. De qua verò Philosophia loquitur, satis indicant fragmenta, atque in pri-

l. 4. contra Pe-  
lag.

mis locus meretur annorari, quem allegat Augustinus, ubi volup-  
tas tanquam vitium pessimum vivis coloribus depingitur. An  
verò voluptates corporis expetenda, que verè & graviter à Platone  
dictæ sunt illecebrosa, atq; esca malorum? quae enim est confessio vali-  
diorum, que deformatio coloris, & corporis, quod turpe damnum,  
quod dedecus, quod non evocetur, atq; elicatur voluptate? cuius mo-  
ratur quisq; est maximus, ita est inimicissimus Philosophie. Et  
qua alia prolixo ordine in hanc sententiam elegantissima se-  
qvuntur verba.

Offic. l. 2. c. 9.

§. 29. Neque omitendi duolibri de Gloria, quod vel ex  
ipso nomine patet. Gloria enim est virtutum comes, atq; stu-  
dere solent homines morum honestati, & laudabiles succipere a-  
ctiones, ut inde bonam famam, & gloria decus sibi comparent.  
Cicero ipse lectorē ad hos libros ablegat: *Nunc dicamus de glo-  
ria, quānquam ea quoq; de re duo sunt nostrī libri.* Forsan etiam,  
qua in libris illis de gloria prolixè disputavit, hic in Officiis ad  
angustiam redigit, ut nihilominus summātum omnem doctrinam complexus sit.

§. 30. Liber de Virtutibus qui propriam quoq; hic loci in-  
veniret sedem planè est deperditus. Si superstes foret, multū  
sine dubio faceret ad antiquitatem explicandam & eruendam,  
atque nescimus, Philosophia Moralis quantum inde decus ha-  
beret.

l. 3. contra  
A. ad.

§. 31. Libros Academicos esse nominandos, non una ra-  
tio svadet, & locus qvī longā serie extat apud Augustinum idem  
evincit, quando Philosophi inter se comparantur, & laus Acade-  
micis deferuntur. Ut putamus totam Academicorum Philoso-  
phiam Moralem accuratè explicuit, dum & ipse multū favet  
Academicis.

§. 32. De libris qvas Legum nomine inscripsit, non aliter  
judicandum, qvām de libris Remp. concernentibns. Traditum  
esse in illis, qvid honestum, qvid turpesit, ut inde iacolumitas ci-  
vitalis conservetur, nemo dubitabit, qvi veterum philosophandi  
morem

morem cognitum habet. Attamen simul concedendum erit,  
in his talibus conscribendis multum adjumenti praestitisse Plato-  
nem.

§. 33. Summum fuisse in *Cicerone* ingenium, & admirabilis  
qvodam ad Philosophiam studiō concitatum, res ipsa probat.  
Non autem sine praeceptore atq; doctore, uti hodie multi faci-  
unt, studiis suis pessimè consulentes, ad Philosophiaē culturam ac-  
cessit. In pueritia institutorē habuit *Pbædrum*, qvilli ut Philosophus  
valde probabatur. Postea principem Academiæ *Philonem*. *l.13.ep.1.*  
nactus est; cum enim ille bello Mithridatico Athenis profugis-  
set, Romamq; venisset singularem invenit doctorem *Cicerō*. Fuit *Brut. c. 89.*  
qvoq; cum Stoico *Diodoto*, qvem nunquam à se dimisit, à qvo cùm *Nat. Deor. l.1.*  
in aliis rebus, tum studiosissime in dialecticā exercitus est. Ma- *c.3.*  
gnam diligentiam in addiscenda Logica adhibendam esse, addi-  
scerent illustri hōc exemplō, nonnulli superstiosi, qui notitiae *Brut. c. 90.l.9.*  
moralis se cultores jactant, & Logicam, uti indignam suis no-  
minibus disciplinam plāne rejiciunt. Qvanquam Philosophus *ep.4.l.13.ep.*  
noster alium etiam sibi præfixum habuit scopum, nimurum ut in-  
de eloquentiam suam augeret. Athenis summum doctorem ha-  
buit *Antiochum*, veteris Academiæ nobilissimum, & prudentis-  
simum Philosophum. Ibi etiam *Pbædrum* & *Zenonem* frequen- *10.Tuscul. l.5.*  
ter cum Attico audivit. Hic *Pbædrus* à priore est distingvendus:  
neq; enim Romæ, sed Athenis docuit, neq; illum puer audivit  
*Cicerō*, sed cùm jam ad judicii maturitatem pervenisset. Rhodi  
audivit *Posidonium* Philosophum, illum ex Stoica secta prodidisse,  
sequentia probant, qvando ait: *Nihil agis dolor: qvamvis sis mo-*  
*lestius, nunquam re esse confitebor malum.* Ex quo perspicuum, ni  
fallor, est, habere incitamentum Philosophiaē cultores, ut doctores  
bus se tradant, neq; propriō studiō omnia investigare audeant,  
Imo, qui aliquid multū sapere, & reipsā prudentes esse vo-  
lunt, commodissimè faciunt, si omnis generis doctores audiant,  
atq; suō judicīo postea veritatem à falso secernant.

§. 34. Cum Philosophiaē studio eloquentiam conjunxit,  
Puer adolescentulus scripsit de arte oratoria, qvod ipse testatur.  
*Diodoto*, & ejus artibus variis, atq; multis ita erat tamen dedi-  
tus, ut ab exercitationibus orationis nullus dies vacuus esset,

Athenis apud Demetrium Syrum, veterem & non ignobilem dicensi magistrum studiosè exercebat. Cùm totam peragrasset Asiam, ignoruit summis Oratoribus Menippo Stratonicensi, Dionysio Magnetis, Ephylo Gnidio, Adramiteno Xenocli. Rhodi ad Molonem haud vulgarem & Philosophum & Oratorem se applicuit. Evidem omnibus magna illa ingenii felicitas non contingit, ut tam excellentes & Oratores & Philosophi evadant: nihilominus in quantum aliquis Philosophi nomen tueri vult, non omnimodo omnem eloquentia ornatum respuere debet. Atque præsertim hoc cogitabunt, qui actionibus operam dant, morumq; honestatem vel scripto, vel ore explicant. Qui enim speculativus est, atq; contemplatione delectatur, facilius excusat, si non ubiq; elegantiam vocum sectatur. Modò abit superbiz nomen, ac si peculiare haberet jus, peculiare privilegium rem obscuris obscuris atque incognitis terminis proferendi.

Orat. pro  
Plant. c. 21.

S. 35. Qyomodo autem ex morum honestate se gessit Cicerio? Respondet ipse pro se: Primum ut honore dignus esset, maximè semper laboravi; secundò ut existimarer: tertium mibi fuit illud, quod pleriq; primum est, ipse bonos. Rectè agit, qui ex virtutum cultura qværit honorem, neq; aliunde sibi conciliare audet. Unicum enim honoris fundamentum virtus esse debet. Stude virtuti, omnibusq; in actionibus decus observa, & quasi ex consulatione accipies honorem.

Orat. pro  
Plant. c. 26.

S. 36. Ex virtutis nomine primum qvæstor est factus, illudque officium honestè & decorè administravit: Non vereor, ne quis audeat dicere, ullius in Sicilia quaesturam, aut gratiorem, aut clariorem fuisse. Verè mehercules hoc dicam: sic tum existimabam, nibil homines unquam aliud Roma, nisi de quaestura amea loqui. Fru-  
menti in summa caritate maximum numerum miseram: negotiorib;  
comis, mercatorib; justus, municipibus liberalis, sociis abstinentis,  
omnibus eram visus in omni officio diligentissimus. Enarrat bene  
virtutes, qvæ observandæ à magistratu sunt. Comitas, justitia,  
liberalitas, abstinentia, diligentia in munere obeundo recensentur:  
His additur cura, ne annonæ caritate premantur subditi.  
Ut larga frumenti copia suppetat & incolis, & militibus, valde  
haec tenus solliciti fuere Principes. Hinc nonnisi speciali con-  
cessio

cessio ex POTENTISSIMI ELECTORIS BRANDENBURGICI  
regionibus exportatum est frumentum.

§.37. Postea ad ædilitiam dignitatem promotus est : *Pro Offic. l.2. c.17.*  
amplitudine honorum, quos cunctis suffragiis adepti sumus, nostrò  
quidem anno, quod contigit eorum nemini, quos modò nominavi, sa-  
nè exiguis sumis adilisatis fuit. Non munere, sed virtute con-  
secutus est amplissimum illum honorem. Hodiernum secu-  
lum vitio haud caret, dum pecunia facilem ad honores facit ac-  
cessum, & qui pecuniosus atq; liberalis est, in marsupio circum-  
fert virtutem.

§.38. Ædilitatem excipit prætura : *In hoc spatio, & in iis* *Brub. c. 93.*  
post ædilitatem annis, & prætor primus, & incredibili populari volun-  
tate sum factus. Dicitur prætor primus, quoniam primò loco  
factus est, ex octo illis, qui tum creabantur. Deprehendis ite-  
rum virtutis splendorem,

§.39. Ultimus & summus honor est consulatus : *Menon* *Orat. 2.*  
*extrema tribus suffragiorum, sed primi illi vestri concursus.* neq; sin-  
gulae voices præconum, sed una voce universus populus Romanus con-  
sulom declaravit. Consulatus ille admitti strabatur cum senatus  
consilio, cum libertate populi, adeoq; multum differt à sche-  
mate, quod ab Augusto ad ornatum est.

§.40. Bene Respublica administratur, cum Philosophi  
præsunt, atq; aurea planè est vox, quam edidit *Plato* : Tum de-  
mum beatas civitates fore, cum aut regnarent Philosophi, aut  
Reges philosopharentur. Illa Philosophia sese non ad dispe-  
rendi subtilitatem, neq; ad investigationem occultarum in na-  
tura rerum, sed ad virtutem tese refert, quam Rerum publicarum  
moderatores ex *Platonis* sententia colere, exercere, atque pro-  
pagare debent. Imperium Romanum ad tantam magnificen-  
tiā atq; amplitudinem Heroibus illis, qui justitiam fortitudi-  
nem, liberalitatem, & omnem deniq; virtutem coluere, pervenit,  
ut ipsæ exteræ gentes superari à talibus viris, quām superare alias  
gloriosius existimarent. Evidem *Camilli*, *Curtii*, *Fabricii*, *Fabii*,  
*Scipiones*, ceteri q; præstantes viri, quos Roma tulit, de Philoso-  
phia nihil scripsere : attamen factis, non verbis, moribus, non  
sermonibus philosophabantur. Tuq; ipse *Cicero* si stetisset

Respublica, qvō cōoperat statu, tantum operæ, & temporis in de-  
scribenda Philosophia non consumſſes, qvod ipſe fateris: Utio-  
nam Res publica in homines non tam commutandarum rerum, qvām  
everteendarum cupidos incidiffet. Primum enim, ut ſtante Rep. fa-  
cere ſolebamus, in agendo plus, qvām in ſcribendo operæ poneremus.  
Deinde ipſis scriptis non ea, qvæ nunc, ſed actiones noſtras mandare-  
mus. Simil & illud inclarescit, honestatis, atq; utilitatis ratio-  
nem in regenda civitate non eſſe diuellendam: bonus enim vir,  
& utilis patriæ civis bene convenire poſſunt, ita debent. Roma  
per illud tempus, qvō virtuti opera dabatur, optimè floruit,  
cūm avaritia, iniquititia, ambitione irrepererent, ruerat, & de felicita-  
tis statu magnō impetu deturabatur.

Offic. l. 2. c. i.

S. 41. Quos verò porro honores bene administratae Rei-  
publica culti Cicerō? Exiliū. Vicisim ipſe pro ſe loqvatūr.  
Civis (intellige Ciceronem) erat expulſus, is, qui Rēpublicam ex  
ſenatus auctoritate cum omnibus bonis defēderat, & expulſus non  
alio aliquid, ſed eō ipſo criminē. Erat autem expulſus ſine judicio.  
Nefariè enim convenerant Piso, Gabinius, & Clodius  
tribunus plebis, belluæ verius, qvām homines dicendi, omnibus  
modis laborabant, ut ē medio tollerent Ciceronem, qvod cūm fie-  
ri ſine multorum ſtrage non poſſet, urbe cefſit, neq; ſervis arma-  
tis bonorum vitam objecit. Retinuit verò in exilio etiam ma-  
gnum animū. Nam Philosophia magnam in hominum ani-  
mis efficit firmitudinem, qvām nullus infortunii turbo conve-  
lere, ac labefactare poſſit. Sicuti olympi cacumen à Poetis  
ſemper tranquillum ſingitur, propter ſummi aëris puritatem:  
Ita Philosophi animus bene ſedatus atque compositus eſt, nu-  
llosq; percipit affectuum flatuſ humi furentes. Stat ille uti al-  
tiſſima, & in medio mari edita rupe, qvæ vel ob altitudinem non  
frangitur, vel ob firmitudinem non commovetur. Illō tem-  
poſe Ciceroni non amicissimos fuiffe Cn. Pompejum, atq; Caſarem  
ſatis manifestum eſt: uterq; multū valebat & auctoritate, &  
potestate, atq; ſi ambitionis ſtudium abfuſſet, forſan patriæ con-  
ſervator patriam reliquere non coactus fuifſet. Non igitur  
quadrat in illos, qvod, Cicero, de teipſo prædicas: Si mibi in  
aliquā nave cum meis amicis naviganti, boq; judges, accidiffere  
multū

Orat. pro Sext.

6. 24.

Orat. pro  
Sext. 6. 20.

multi ex multis locis predones clasibus eam navem se oppressuros  
minarentur, nisi me unum sibi dissident; si id vettores negarent, ac  
mecum simul interire, quam me tradere bestibus malent, jecissim me  
ipse porius in profundum, ut ceteros conservarem. Alia est vera,  
alia fucata amicitia. Illa vel maximè in adversis rebus juvare  
vult, atq; oppressum amicum erigere conatur: hæc nonnisi re-  
bus jucundis delectatur, atq; ad voluntatem nostram fluentibus,  
cum testatur, & offert omnem studiorum promitudinem. Se-  
quebatur ergo ut lamentareris: *Vides me omnibus amplissimis,*  
*carissimis, jucundissimis, rebus perfidiâ hominum spoliatum;* *vides*  
*me à meis consiliariis proditum & projectum.* Ultimò, nefandè  
morte peremptus est *Cicero*, quam præ aliis auctoribus graviter *Hist. Rom.*  
describit *Paterculus*. Hic est exitus clarissimi Consulis Reipubli- *I.2. c. 66.*  
cæ Romanæ, qvi patriam moribus instituit, qvi virtutem & co-  
luit, & alios colere jussit. Sed hæc haec tenus.

## Corollarii loco

adjecta.

### I.

**R**idiculus est Pythagoras, qvi à civili vitæ  
genere removit Philosophos, & tales es-  
se finxit, qvi vicinum proximumqve suum  
ignorarent, neqve modò qvid ab eo agatur,  
sed & parum esse, ut nescirent, homo nesit,  
utrum aliud qvodpiam brutum.

### II.

Romani in bello gerendo tantam exco-  
luere

Iuere sanctitatem, ut ejus umbram in exteris  
nationibus hodie vix deprehendere liceat.

III.

Animus ad pericula promptus non utilita-  
te communi, sed suâ cupiditate impulsus, au-  
daciæ potius nomen habet, qvàm fortitudi-  
nis.

IV.

Ad gloriam proxima, & qvâsi compen-  
diaria est via, si qvis bellum ineat, ibiq; robur  
corporis & ingenii ostendit.

V.

Hostem veneno interimere licet. Hinc  
Asiatici & in primis Africani populi nostris  
legibus non subscribunt.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt  
urn:nbn:de:gbv:3:1-547790-p0026-8

WITTENBERG, DISS., ERGÄNZUNG, 2  
1668/1708



KD7

W

E  
160

63.72.27.

4 9,4

B.I.G.

Black



DEO BENE JUVANTE,

Dc

# CICERONIS PHILOSOPHIA MORALI

IN ALMA STUDIORUM UNIVERSITATE  
VVITTENBERGENSI

PRÆSIDE

JOANNE CHRISTOPHORO

Fugmann /

RESPONDEBIT

GEORGIUS EMERANUS KÜHLEWEIN,  
MAGDEBURG : SAX.

IN AUDITORIO MAIORI

D. XIII. M. SEPTEMBRIS.

WITTENBERGÆ,

Literis MATTHÆI HENCKELII , Acad. Typogr.  
ANNO M. DC. LXXVI.

1676